

in agni immolatione celebrat, Mathias sorte eligitur, ne apostoli electio mandato discrepare legis veteris videretur, ubi summus sacerdos sorte quaeri iuebatur, sicut de Zacharia dicitur¹: 'Secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret'. Qui idcirco tunc sorte legebatur, ut in typo figuraretur. Verum semper querendum fuisse sacerdotem, donec veniret, cui repositum erat. Qui non in hostiarum cruore, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa. Cuius hostia tempore paschae immolata, sed die pentecosten spiritu sancto in igne apparente vere consumpta est. Veteris enim erat consuetudinis acceptas Deo victimas celesti igne consummari. Donec ergo veritas compleretur, figurata licuit exerceri. Inde est, quod Mathias, qui ante pentecosten ordinatur, sorte queritur; septem vero diacones, qui postea nequaquam sortis agitatione, sed discipulorum tantum electione, apostolorum vero oratione et manus impositione sunt ordinati.

27. Et de Paulo et Barnaba ita in eadem sacra hystoria scriptum est²: 'Erant autem in ecclesia, quae est Antiochiae, prophetae et doctores, in quibus Barnabas et Symeon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cirenensis et Mananeen, qui erat Herodis tetrarchæ conlactaneus, et Saulus. Ministrantibus autem illis Domino dixit spiritus sanctus: Separate mihi Barnaban et Saulum in opus ministerii, ad quod adsumpsi eos. Tunc [i]eiunantes^a et orantes imponentesque eis manus dimiserunt^b illos. Et ipsi quidem [m]issi^c ab spiritu sancto abierunt Seleuciam'. Et paulo post³: 'Saulus *f. 80⁴ autem, qui et Paulus, *repletus spiritu sancto'. Ubi etiam est notandum, quoniam cum praefatis nemo^d duodecim apostolis interfuisse legitur, et post ordinationem episcopatus de Paulo scriptum est⁴, quia repletus est spiritu sancto^e, verbo excecavit Elima[n]^f magum, et, antequam baptizaretur, dictum est⁵ ei ab Annania, quando imposuit ei manum, 'Saul frater, dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas et implearis spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squame et visum recepit'.

^a) Zeilenanfang nicht erkennbar. ^b) -seī auf Ras. ^c) Zeilenanfang nicht erkennbar. ^d) Dahinter stand noch ein Wort von 1—2 Buchstaben, vielleicht e oder de. ^e) Danach et radiert. ^f) n nicht deutlich erkennbar.

¹) Luc. 1, 9. ²) Act. 13, 1—4. ³) Act. 13, 9. ⁴) Act. 13, 8—11. ⁵) Act. 9, 17. 18.